



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Caput I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**

# TRACTATUS IV.

DE

## IV. ECCLESIAE PRÆCEPTO.

HOC EST,

### DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

Et per hanc occasionem de peccatis  
circa cibum, & potum.

#### CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Jejunium Ecclesiasticum.

I. **J**ejunium Ecclesiasticum, sic dictum ad differentiam Jejunii naturalis, quod servari debet ad Sacram Eucharistiam suscipiendam, & de quo latè diximus anno superiore; Jejunium, inquam, Ecclesiasticum universaliter sumptum est *abstinentia ciborum pro certis anni diebus modo ab Ecclesia instituta*, quem infra declaraturi sumus. Est autem duplicis generis; alterum, per quod abstinere Fideles debent à cibis per eandem Ecclesiam vetitis, nullo alio rigore superaddito, ut servatur in diebus terciae sextae, & sabbatis apud Ecclesiam Latinam, & feria quarta apud Ecclesiam Orientalem ejusdemque hebdomadae intra annum.

Alterum, per quod abstinere debent à cibis quidem ab Ecclesia prohibitis, sed cum alio majore addito rigore, hoc est, cum restrictione ad unam tantummodò plenam refectionem, ut servatur in diebus Quadragesimae, & Vigiliarum quatuor Temporum.

2. Porro tria hæc, quæ sunt passim obvia, supponenda sunt. Primò, præceptum hoc esse ab Ecclesia latum. Et quidem illud de Quadragesima usque ab initio ætatis Apostolorum ad imitationem Christi Domini Jejunantis in deserto, ut notat Sanchez *lib. 5. consiliorum cap. 1. dub. 1.* quidquid dicant aliqui innominati apud Fagundez *4. Eccles. præcept. lib. 1. q. 1.* qui ajunt, esse præceptum divinum à Christo institutum. Neque obstant S. Augustinus, S. Ambrosius, alijque apud eundem, qui dicunt, hoc præceptum esse de jure divino; sunt enim intelligendi originaliter, quia nimirum ad Christi

Pp 3

Do.

Domini imitationem illud Apostoli præceperunt, quod deinde jura Canonica confirmarunt. Idem profus dicte Jejunii quatuor Temporum. Jejunia verò Vigiliarum, & abstinencia à cibis vetitis in diebus feriæ VI, & sabbato, videntur esse solùm de Jure Canonico, deque antiqua Fidelium consuetudine. Legite Leandrum *de Jejunio* tr. 4. disp. 7. præsertim à q. 12.

3. Secundò, supponendum est, hoc præceptum per se obligare sub mortali, ut ipsa Fidelium praxis, & sensus nimis clarè ostendit: quidquid dicant Cajetanus, & alij quidam apud Amadæum *in tract. de Jejunio prop. 6. tenentes*, non esse mortale, frangere dictum Jejunium, nisi quando frangitur ex contemptu, vel ex inobedientia: quam tamen sententiam rectè idem Amadæus dicit, à Valentia vocari temerariam, & ab aliquibus Recentioribus erroneam. Legite Pasqualigum *de Jejunio decif. 30.* & ibi innumeros DD. fallam vocantes ejusmodi sententiam, & meritò ab Alexandro VII. damnatam Anno 1665.

4. Tertio, quamvis multi putent, præceptum de Jejunio esse affirmativum, multi autem esse negativum; probabiliùs tamen ij loquuntur, qui dicunt, esse affirmativum, & negativum sub diversa consideratione. Est affirmativum formaliter, quia totum hoc præceptum intendit pro fine (à quo sumunt speciem, & formam actus) aliquid positivum, nempe macerationem carnis, satisfactionem pro peccato, & conformitatem cum Christo jejunante. Negativum verò est materialiter, quia

ejusmodi finem vult per illas negationes, id est, per negationem comestionis carniùm, & per negationem plurium comestionum in die, sed solùm semel. Legite eundem Leandrum *loc. cit. quest. 6.*

## CAPUT II.

### Quosnam afficiat Præceptum Jejunij.

I. **A**liud est, excusari à Jejunio, aliud ad illud non obligari. Non obligantur ij, qui talis præcepti non sunt capaces, e. g. infans, infidelis, &c. Excusantur ij, qui quamvis ejus capaces sint, unde per se obligarentur, habent tamen aliquid, unde illis non imputetur culpa Jejunii violatio. Ejusmodi est e. g. adultus, infirmus, qui propter circumstantiam aegritudinis ad Jejunium ponendum non adigitur. Nos ergo hoc capite agemus de non obligatis, *infra cap. 10.* de excusatis actui: licet notandum sit, multa hæc affecti, quæ ad excusationem referri possunt, & multa illic, quæ ad non obligationem.

### Infideles, & Hæreticus.

2. **I**nquires ergo primò, an hi teneantur lege Jejunii?

Respondeo hæreticos teneri, non verò infideles. Ratio est, quia hæretici, cum supponantur esse baptizati, subjacent præceptis Ecclesiæ. Contra verò Infideles, cum non sint Ecclesiæ subditi, quæ subjeccio acquiritur per susceptionem Baptismi, præceptis Ecclesiæ